Middeldorpf

BREVIS DISSERTATIO, DE VISIONIBUS

Quæ Capitibus XIII. & XVII. Apocalypseos describuntur.

Auctore

ROBERTO JANSONIO Campensi.

Psal. 2. v. 10. 11. 12.

Et vos Reges intelligite: Erudimini qui judicatis terram, &c.

CLAUDIOPOLI.
Anno Christi
1625.

Lectori benevolo Salutem.

SEntentiam de iis, quæ Capitibus decimo tertio & decimo ſeptimo Apocalypſeos, ſub certis quibuſdam imaginibus & verborum involucris, proponũtur, afferimus, haud novam quidem illam, ſed tamen innovatam. Nam quæ ab aliis atq; inprimis à D. Luthero, Davide Chytræo, rectè de iiſdem dicta nobis videbantur, in noſtram hanc tranſtulimus diſſertatiunculam; quæ à diverſis ſparſim dicta, collegimus; falſa recidere ſtuduimus; quædam de noſtro, quæ partim ſacrarum literarum, partim hiſtoriarum lectio, partim denique experientia ipſa nobis ſubminiſtravit, adjecimus. Nec Prophetas nos eſſe, nec Prophetarum filios, profitemur. illis, quæ diximus, adminiculis, in eruendo myſteriorum iſtorum ſenſu, uſi ſumus. In privatum olim uſum hæc fueram commentatus, quæ poſtea paucis quibusdam amicis, nunc omnibus legenda dare viſum eſt. Si quid veritati haud conſentaneum putâris, per nos repudies licet. Quam libertatem in aliorum ſententiis caſtigandis uſurpavimus, eandem aliis in noſtra examinanda libenter concedimus. Adhibeatur modò æquitas in judicando, qua nos uti ſtuduimus. Dies

diem docet, maximè in prophetiis enucleandis, quibus eventus magnam affert lucem. Quare, quemadmodum arbitramur, nos, per Dei gratiam, quædam in hoc argumento vidisse, quæ priores latuerant: ita nequaquam mirabimur, alios, qui nos sequentur, eósque plures ac doctiores, plura videre & meliora in lucem afferre. Immo omnes, ad quorum manus scriptum hoc nostrum perveniet, rogatos volumus, ut, si qua in re lapsos nos arbitrabuntur, erroris admoneant, ac meliora doceant; nec nos tantùm, verùm etiam alios, qui harum rerum cognitione delectantur. Delectari autem par est omnes pios, qui has prophetias, ab ipsô divino spiritu, nobis summopere commendatas esse expenderint. Faxit Deus, ut hic etiam labor meus, licèt exigúus, aliquod Ecclesiæ afferat emolumentum, & in divini nominis cedat honorem. Cui nos nostraq; omnia consecravimus. Vale.

CAPI-

CAPITIS XIII. ET XVII. APOCAL. BREVIS ILLUSTRATIO.

DIcturi de visionibus, quæ decimo tertio & decimo septimo Apocalypseos capitibus describuntur, istud priùs monendum putavimus, non omnia nos divini spiritus verba, quæ dictis duobus Capitibus habentur, explicaturos, sed ea tantùm, quæ vel majoris esse momenti, vel illustratione magis indigere, vel etiam lucem aliquam à nobis accipere posse videbuntur.

Quod ergò ad visiones decimo tertio capite comprehensas attinet, eæ nobis exhibent primùm duas bestias, tum unius ex illis, nempe prioris, imaginem, svasu secundæ bestiæ confectam. de quibus, quid portenderint, dicere constituimus; separatim etiam nonnihil acturi de mensibus illis quadraginta duobus, & numero nominis bestiæ, quorum in hoc Capite fit mentio, cum videamus in ejus rei explicatione non parum a doctis laborari. Cap. 13.

De prima bestia ita loquitur D. Johannes:
v. 1. Et vidi ex mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, & in cornibus ipsius decem diademata *&c. quæ verba ex parte repetuntur infrà capite 17. v 3 Atq; hæc nobis inprimis sumsimus declaranda ex iis, quæ in hujus bestiæ descriptione à Johanne dicuntur.*

cuntur. Cætera eatenus, quatenus instituti nostri postulabit ratio hinc inde libabimus.

Istud autem hîc tanquam certum ponimus, quod, tum virorum in sacris litteris exercitatorum, communi suffragio comprobatur, tum exemplis e libris Prophetarũ petitis haud difficulter potest ostendi, per Bestias imperia, præsertim magna lateq; patentia, quæ Monarchias vulgo appellamus, intelligi solere.

Vide Dan. cap. 7. 17. 23 cap. 8. 20.

Per Bestiam ergò primam, quæ in verbis Johannis, paullo ante adductis describitur, Romanum cum plerisque intelligo Imperium seu Monarchiam: quæ ideò bestiæ septem habenti capita, comparatur, partim quòd Urbs Romana, Imperij hujus sedes ac caput, quæ capite 17. v. ultimo dicitur Civitas illa magna, habens regnum super Reges terræ, *in septem fuerit sita montibus; partim verò, idq; potissimùm, quòd in ea Republica nõ una ut in prioribꝰ Monarchiis seu maximis Imperiis cõtigit, regiminis ac gubernationis fuerit forma, præsertim quod ad supremã potestate attinet, sed variæ, & quidem numero septem. Hujus vero nostræ de septem capitibus sententiæ, auctorem habemus ipsum Johannem, vel potius Angelum infra capite 17. v. 9, 10, ea his verbis explicantem:* Septem, *inquit*, capita, montes sunt septem, ubi mulier sedet super ipsis, & Reges septem sunt, &c. *Et de montibus quidem*

dem nil opus est plura dicere: per Reges autem supprema Reipublicæ capita, regiam potestatem habentia, intelligi, tum viri doctißimi tradiderunt, tum quisque facilè potest animadvertere. Nec quicquam refert, quòd Regum nomen non omnia usurparunt. Res enim ipsa potiùs, quæ hîc regia potestas est, quàm nomen est spectandum.

Quamquam & illud animadvertendum est, quòd, ut infrà patebit, ij, qui primum hujus Imperij Caput constituunt, Reges propriè dicti fuerint. Vnde divinus spiritus eleganter, quanquam, ut in Propheticis sermonibus accidit, paullo obscuriùs, cæteris quoque capitibus, quæ in primi illius locum successerunt, & potestatem supremam, ab eo ad sese devolutam acceperunt, Regum nomen potuit tribuere. Idem fecit oraculum Delphicum, cujus auctoritatem hîc à nobis commemorari, nemini absurdum videri debet, cũ hoc loco de usu tantùm vocis alicujus agatur, ac præterea viris doctis non sit ignotum, oracula gentium, ænigmaticum verorum seu divinorum oraculorum sermonem, qui tegendis aliquo modo divinis decretis, donec exitus ea aperiat, adhibetur, fuisse æmulata, ut sibi quoque divinitatis opinionem conciliarent. Oraculũ enim Delphicum L. Junio Bruto, qui primus pòst Reges, è civitate Romana pulsos, consul fuit, regnum portendit. Nam cum is, unà cum duobus Tarquinij filiis, Delphos esset pro- Livius lib. 1. Decadis

 fectus,

primæ. Valer. Maximus. *fectus, consulentibus illis, quinam ex ipsis Romæ post patrem regnaturus videretur, oraculum respondit, eum regnaturum, qui primus matri dedisset osculum. quod cum Brutus intellexisset, veluti casu prolapsus, terram, communem omnium matrem, osculatus est, Tarquinij filiis frustra de matre sua, ubi domum rediissent, osculanda cogitantibus. Neuter enim patri in regno succeßit, sed Brutus, qui summam in ea Republica potestatem à Regibus ad se transtulit, atque adeò regnum quodammodo est adeptus, licèt Rex appellari propriè non posset, cum solus Rempublicam non teneret, nec Regis nomen vel ipse ambiret, (ejus enim è civitate tollendi primus auctor extiterat) vel ab aliis adipisceretur, qui odio ipsorum regum, etiam nomen odisse cæperant. Ex quo apparet, eos etiam Reges nominari impropriè posse, qui supremam potestatem à Regibus ad se devolutam habeant.*

Istud etiam hîc neminem turbare debet, quòd, ut nostra fert explicatio, per Reges istos septem, non septem singulares, seu individuos reges accipere cogamur, sed septemplicem Regum sive Capitum, in summo Imperio sibi succedentium, seriem atque ordinem. Videmus enim apud Danielem quoque capite 7. v. 17. quatuor Reges sumi, pro quatuor diversis ordinibus regum sibi continua serie succedentium, vel, si mavis, pro ipsis quatuor Monarchiis. Sic apud eundem

eundem capite 8.v. 21. per hircum pilosum dicitur significari Rex Græciæ; & tamen statim additur, per grande illius hirci cornu, intelligi primum regem: per quatuor verò post modum enata, quatuor regna pro illo exorta. Rectè ergò unus Rex, per unum caput bestiæ designatus, potest significare ordinem unum magistratuum supremorum, in eadem Republica, eademq́ue regiminis forma, sibi continua serie succedentium.

Quod verò septem Capita, atque adeò etiam septem Reges nominantur, non ita est accipiendum, ac si septenario numero pluralitas tantùm indefinitè significaretur, ut alibi non semel in sacris litteris, Hebraica consvetudine, accidit: sed statuendum est, septenarium numerum propriè ac definitè hîc intelligi. Numerantur enim Reges isti distinctè, ita ut septenarius numerus compleatur, capite 17. v. 10. ubi post verba paullò antè adducta statim additur: quinque (*reges*) ceciderunt, & unus est, alius nondum venit. *Nam etsi Johannes versu sequenti Octavum regem commemoret, nihilominus tamen asserit eum ex istis septem esse? quod qua ratione poßit consistere, inferiùs intelligetur. Nunc enim nobis enumerāda sunt septem illa Imperij Romani capita, ac diversæ regiminis supremæq́ue potestatis formæ.*

Primùm ergò caput sunt, Reges, qui ab initio Rempublicam Romanam tenuerunt.

Secundum, Consules.

Tertium, Decemviri consulares.

Quartum, Tribuni militum consulari potestate.

Quintum, Triumviri, qui post mortem C. Julij Cæsaris, Imperium Romanum inter se, ut possessionem quandam suam, diviserant. nempe M. Antonius, M. Lepidus, Octavius Augustus.

Sextum, Cæsares seu Imperatores Romani, initio facto ab Augusto, post Lepidum atque Antonium sublatum. Vel, si mavis, à C. Julio Cæsare, qui Principatus istius initium quoddam fecit, licèt inter eum & cæteros Imperatores, Triumviratus intercesserit.

Septimum, Pontifices Romani Christiani.

Octavum Regem constituunt, Cæsares Germani, qui aliquo modo in locum & nomen Imperatorum istorum, quos sextum caput esse diximus, successerunt; potentiâ tamen iis multùm dissimiles. qua de causa partim octavi regis nomen obtinent, partim iidem cum sexto censentur, & ex illis septẽ Regibus esse dicuntur. Et Reges quidem illi, qui primum Romani Imperij caput constituunt, rerum summæ præfuêre per annos 244. ut auctor est Livius. His consules successerunt, quorum imperium extenditur per annos 462. inclusis hoc numero iis quoque annis, quibus Consulum series atque imperium, mutatâ Reipublicæ formâ, per Decemviros,

&

& Tribunos militum consulari potestate, fuit interruptum. Decemviri biennio, & paullo ampliùs, Imperio præfuêre. Tribuni militum consulari potestate Rempublicam per annos 43. tenuerunt. Triumviri, post necem Julij Cæsaris, annos circiter 12. Et de his quinq; capitibus seu Regibus ait Johannes, in verbis supra citatis: quinq; (*reges*) ceciderunt. *Eo enim tempore, quo hæc sunt Johanni divinitus revelata, & ab eo litteris consignata, istæ Imperij Romani formæ cessârant. Etsi enim tum quoque Consules quotannis crearentur, tamen pro capitibus Imperij seu Regibus censeri ampliùs non poterant: cum penes illos nec summa, nec totius Imperij potestas esset. Potestas enim eorum valde fuerat imminutâ, Principum seu Imperatorum potentiâ, quorum nutu omnia in Republica gerebantur. Qua de caussa Johannes de sexto Rege, quos Imperatores illos antiquos esse diximus, ait:* Unus est, *id est, nunc rerum potitur. Imperatores enim isti, ut jam indicavimus, totum revera Urbis & Orbis Imperium ad se pertractum tum tenebât. Quod ad Pontifices Romanos Christianos attinet, illi quoque Romani Imperij caput sunt, non quidem simpliciter, quâ Episcopi Romani, sed quâ habenas sive gubernacula Monarchiæ Romanæ, Urbis nimirum & Orbis Christiani, ad se pertraxerunt, atque in hoc Imperio à superiori potestate non dependent, nec ullius supra se Imperium in terris agnoscunt.*

Et

Et de hoc ſeptimo ita loquitur Johannes: alter nondum venit, & cum venerit oportet eum breve tempus manere *Quæ verba quomodo ſint accipienda, ex dictis intelligi poteſt. Eatenus enim breve tempus manere oportet Pontifices, quatenus Imperij Romani caput ſunt, & politiam iſtam dominatu ſuo complectuntur, non verò quà Epiſcopi Romani. hoc enim poſteriori modo conſiderati ſatis diu duraverunt. Licèt enim illud quoq; tempus, quo plenum Urbis Romanæ Imperium ad ſe pertraxit Pontifex, non videatur eſſe exiguum: tamen reſpectivè, ut loquuntur, breve dici poteſt. Nam ſi comparetur cum eo tempore, quo Imperatores Urbis imperium tenuêre, exiguum diic poteſt. Non prorſus diſsimili ratione dicitur capite præcedente 12. v. 12. Satanam ſcire ſe breve habere tempus, non ſimpliciter, ſed reſpectu habito ad deſiderium ipſius, atque odium humani generis, cui exſaturando, quicquid illi temporis ibi conceſſum dicitur, breve eſt. Eſt enim tempus illud, de quo ibi dicitur, dierum, hoc eſt, ſecundũ ſermo-*

Bonifacius Octavus, anno Domini 1300 inſtituit primum Jubilæum, & in eo palàm coram populo oſtentavit Pontificiam & Imperatoriam poteſtatem, dum altera die Pontificis habitu apparuit, altera paludatus, & Imperatorio ornatu redimitus, ſe ſpectandum exhibuit. Prætulêre illi duos gladios. Clamavit & ipſe: Ecce duo gladii hîc.

sermonem Propheticum, annorum 1260. ut infrà patebit. Confer inter se capitis 17. v. 17. & cap. 13. v. 2. 4. 5. 7. itemq; capitis 11. v. 7. 8. & 9. Ideò verò Spiritus sanctus asseruisse videtur, breve futurum tempus istud, quo Antichristus esset regnaturus, ut pios, qui sub durißimo ac crudelißimo ipsius imperio victuri essent, brevitate temporis tam luctuosi, consolaretur, & afflictionum, quibus tunc essent subjiciendi, atrocitatem aliquantùm minueret. Quo ferè pacto Apostolus afflictiones suas, sibiq; similium, non tantùm breves, sed momentaneas etiam vocat, licèt eæ, si tempus vitæ eorū respicias, haud fuerint breves, sed comparatæ cum æterna gloria prorsus momentaneæ. nec desunt sanè viri docti, qui eodem planè modo tempus hoc septimi regis breve dictum putant, quo afflictiones istæ momentaneæ, hoc est, respectu futuræ quietis ac felicitatis.

Quod ad octavum Regem attinet, quo nomine diximus Cæsareatum in Germania significari, de eo sic loquitur Angelus versu 11. & bestia quæ erat, & non est, & ipse octavus est, & ex illis septem est. *&c. versu autem 8. de eadem re loquens, vocat eum bestiam* quæ erat, & non est, quamquam est. *Quia septem tantùm capita illius bestiæ ostensa fuerant Johanni, ideo non ait Angelus, caput bestiæ aliquod esse Regem octavum, sed bestiam esse illum Regem. quamquam & illa potest addi ratio, quòd Johannes per Regem illum, non*

tantùm

tantùm Imperij caput, sed etiam ipsum Imperium, seu Reipublicæ corpus voluerit significare; propterea quòd id tum prorsus fuerit mutatum. Hoc autem pacto si Regis nomen sumatur, non tantùm caput aliquod bestiæ illi respondet, sed totum bestiæ corpus cum uno ex septem capitibus consideratum, eo nempe cujus duplex videtur esse forma, seu mavis status ac conditio. Nam quia octavus hic rex ex illis septem esse dicitur, necesse est eum uno ex illis septem capitibus quæ septem reges adumbrant, designari; sed quia nihilominus octavus rex dicitur, & sic a septem prioribus distingvitur, necesse est capitis illius, quo significatur, duplicem esse formam ac rationem, seu mavis statum ac conditionem; ita ut jure duos reges, partim similes, partim dißimiles, poßit repræsentare. Istud verò nullum aliud, quantùm ex descriptione Johannis licet intelligere, esse potest, quàm illud de quo scribitur capite 13. v.3. Et vidi unum capitum istius (*bestiæ*) ut cæsum ad mortem, & plaga mortis ejus sanata est. *quod postea repetitur de ipsa bestia versu 14. & ex parte versu 12. ex quo, ut obiter id notemus, confirmatur aliqua ratione id, quod paullo antè diximus, per bestiam, quæ octavum Regem designet, posse intelligi bestiam, cum uno ex illis septem capitibus consideratam: siquidem Johannes de una eademque re loquens, nunc unum bestiæ caput, nunc ipsam bestiam nominat.*

Jam,

Jam, ut ad institutum redeamus, hujus capitis duplex conditio ac ratio indicatur, ita ut ipsum quoque duplex esse videatur. Aliud enim fuit, antequam ad mortem usque cæsum esset; aliud, postquam sanatum est, vel, ut versu 14. loquitur divinus spiritus, revixit. Priori ergo modò consideratum hoc caput, videtur Cæsareatum illum Romanum antiquum denotare, qui ferro, maximisq; in Italia bellis tantùm non interciderat; posteriori verò modo, Cæsareatum in Germania restauratum, qui propter similitudinem nominis atque insigniũ, successionemq; in partem quandam honorum ac potentiæ, idem cum illo videri potest: sed si inæqualitatem potentiæ, si item locorum, ubi Imperij sedes est, diversitatem respicias, longè ab eo differt, &, ut postea audiemus, illius tantùm imago est. Dum verò ait Angelus, bestiam illam fuisse, & non esse, & tamen esse; *ea loquendi ratione utitur, quæ in sermonibus Propheticis admodum est usitata. Ita enim verba sua concipit, ac si res, de qua verba facit, re ipsa tunc existeret, idq; tantò concinniùs, quòd res ipsa, sub imagine quadam, veluti præsens oculis Johannis subjiceretur. Sensus autem istorum verborum est: Cæsareatum, sive Imperatores Romanos, unà cum ipso Imperio antea quidem revera fuisse, sed nunc translatis ad Germanos ejus reliquiis, revera non existere. Quî enim Romani Imperatores revera ac propriè dici merentur,*

tur,

tur, qui nec Romæ sedem fixerunt, nec tantam in eam Urbem potestatem, quantam antiqui Imperatores unquam habuerunt, immò, à satis longo jam tempore, planè nullam habent, ac præterea maximam Imperij ad eam urbem spectantis partem amiserunt. Quicquid enim nunc ditione sua tenet Turca, quicquid Hispanus, (Indias excipimus) quicquid Anglus, Gallus, Pontifex, Italiæ Principes, Veneti, Helvetij &c. id totũ Romanæ ditioni, atque Imperatorum veterũ potestati suberat. Nihilominus tamen ait, bestiam istam, seu Romanum Imperium, Cæsareatumq; esse, quia imago quædam illius, in veteris locum substituta, extet. Extat enim adhuc Romanorum Imperatorum, Imperiiq; ipsius, nomen atque insignia, extant reliquiæ veteris potentiæ & auctoritatis, quam inter Principes Christianos Cæsar obtinet.

Antequam autem ab istorum capitum explicatione ad alia transeamus, tria nobis sunt agenda. Primùm caussa nobis est explicanda, cur nec Dictatores, qui tamen summam ac planè regiam in Republica Romana potestatem habuisse videntur, inter capita bestiæ, seu Reges illis designatos, numeraverimus; neque item Pontifices Romanorũ ethnicos, nec Prætores, aliósve magistratus Romanæ Urbis, quos nonnulli Capitibus ac Regibus, a Johanne commemoratis, inserunt.

Quod ergo ad Dictatores attinet, eos ideo Regibus

bus istis non annumeramus, quòd is m istratus fuerit p- -ne extraordinarius, & certi tantùm negot y caussa constitutus, quo confecto, ordin aria potestas, veluti deliquium aliquod p- sa, vim suam plenè recipiebat. Constituebatur enim Dictator ad aliquod Reipublicæ periculum, fortè fortunâ enatum, propulsandũ, aut ad aliquod gravius negotiũ expediendum, quo confecto imperium cogebatur deponere is, qui susceperat, remanente interim consulatu, cui non abrogando, sed potiùs ad tempus sublevando, inventa esset Dictatura; cont ra uam in cæteris, quæ n sti- tuimus, Reipublicæ Romanæ capitibus acci- dit. Ea enim ordi- naria erant c u us ta cùm sicujus negotii -au suscipi-

Livius Primæ Decadis libro 4. haud ita procul a fine.

In rebus trepidis ultimum consilium erat Dictatorem dicere.

Idem Livius primæ Decadis libro quinto, Dictaturam extraordinarium imperium aut auxilium vocat. Verba ejus sunt: Cum tanta moles mali instaret, adeò occœcat animos fortuna, ubi vim suam in ent m refringi no ul vitas, quæ su denatem ac V hostem, al os mos populos ultima experiens auxilia, Dictatorem multis tempestatibus dixisset: ea tunc inusitato atq; inaudito hoste, ab Oceano terrarumq; ultimis oris bellum ciente, ni-

hil ex[illegible]aordinarij Imperij aut auxilij quæsivit[illegible]. [illegible] constitutis, cæteri magistratus cum summo imperio rogabantur. Pontifices verò ethnicos ideo non recensemus inter ista Capita, quia politicum Imperium & suprema Reipublicæ potestas penes illos non fuit. Cæteri magistratus, quales erant Prætores, Tribuni plebis, (quos quidem Tribunos, ne magistratus quidem nomine nonnulli dignantur) & quidam alij, quia nec ipsi supremam seu regiam potestatem habuêre, itidem inter reges collocari non merebantur.

Secundo loco nobis examinanda est sententia Bullingeri, Francisci Junij, & Piscatoris, de septem illis bestiæ capitibus. Hi enim viri, sequuti Victorinum quendam, scriptorem Pontificium, per capita ista intelligunt certos qu[illegible] seu singulares Imperatores, nempe [illegible]bonem, Vitellium, Vespasianum, Domitianum, Nervam & Trajanum. [illegible]que prioribus [illegible] dixisse, quinque ceciderunt: de Domitiano verò, Unus est. de Nerva, [illegible] venit, & cum venerit oportet [illegible] breve tempus manere. non diu enim [illegible] Trajanum verò octavum regem faci[illegible] t, [illegible] itur: Bestia autem quæ erat, & non est, is (quã) octavus est, & ex illis septem [illegible] quæ verba

verb ita ad Trajanum accommodant: Bestia erat, *scilicet penes homines Romanos* & non est. *id est, non est amplius penes hominem Romanum sed penes alienigenam. Ulpius enim Trajanus natione Hispanus fuit.* & tamen est *v. 8. scilicet Imperium Romanum, quia Romæ sedem habet.* ex illis septem est, *nempe quatenus collega fuit septimi in Imperio, hoc est Nervæ. Cum verò Johannes ait, se vidisse* unum ex illis bestiæ Capitibus lethaliter vulneratum, & vulnus illud lethale fuisse sanatum: *per caput istud Neronem intelligunt, quo occiso, Imperium, seu Cæsareatus, parum abfuit quin concideret. Verùm hîc mirari licet, quî in hanc sententiam viri tam eruditi potuerint venire. Qua enim ratione, per caput hoc lethaliter vulneratum, Neronem possunt intelligere, cum eum inter capita, seu Reges istos, prorsus non recensuerint, nec, si sibi constare velint, recensere possint. Atque hoc sane apertum atque evidens est falsitatis istius sententiæ argumentum.*

Sed præterea istud vehementer sententiæ illi obstat, quòd bestiæ isti septicipiti, quæ fuit, & non est, & tamen est, *insidere dicitur meretrix illa, per quam omnes Antichristum intelligunt. At quomodo Antichristus insedit Imperio Romano, sub illis octo Imperatoribus*

constituto, & nominatim Trajano, quem isti volunt designari in verbis: bestia quæ erat, & non est. *Insidere enim Antichristus bestiæ dicitur, partim quòd eam pro arbitrio regat, partim quòd ab ea vicißim sustentetur & fulciatur, ita ut sine ea consistere nequeat, & eâ cadente ipse quoq; sit casurus. quod de Imperio Romano, sub ethnicis illis Imperatoribus constituto, atque nominatim de Trajano, nullo pacto dici potest. Adde, quòd nulla sit caussa, cur Spiritus sanctus istos tantùm, septem aut octo Imperatores designaret, & non etiam alios, qui vel antè, vel post eos extiterunt. nulla etiam caussa est, cur Spiritus sanctus, qui in hoc libro breviter, ac generaliter tantùm, conditionẽ ecclesiæ Christi, a tempore Iohannis usque ad diem ultimum, delineare instituit, atque inter cætera indicare, sub quibus Imperiis ea esset victura, quas persecutiones perpessura, quas item pœnas Deus de illius hostibus esset sumturus; cur, inquam, ad ista particularia minutaq; descenderet, eáque tantâ diligentiâ persequeretur? Atque hæc de sententia ista dicta sufficiant.*

Tertio loco istud considerandum est, quòd quidam per octavum Regem Antichristum intelligunt. Quæ sententia si ita accipiatur, quasi Spiritus sanctus ad Antichristum respexerit, cũ Octavi regis fecit mentionem, falsa est, eiq; repugnat

repugnat istud, quòd octavus ille rex dicatur esse bestia quæ erat, & non est. *Atqui bestia hæc manifestè distingvitur ab Antichristo. Is enim designatur per meretricem bestiæ illi insidentem, ut omnes fatentur, quam Angelus a bestia ipsa apertè distingvit. Quare bestia non ipse Antichristus est primò ac principaliter, sed Imperium quod Antichristum sustentat ac fulcit, atque ab eo vicißim regitur. Ne de illo nunc quicquam dicamus, quòd de Antichristo non videantur intelligi posse ista, quòd* fuerit & non sit, & tamen sit. *itemq; quòd* ex illis septem regibus sit, *ut ex superiùs a nobis dictis satis unicuique constare potest. Aliàs quomodo Antichristus cum hac bestia, adeòq; cum octavo rege idem sit, inferiùs, cum de decem regibus, per cornua designatis, acturi sumus, dicetur.*

Ordo nunc postulare videretur, ut de cornibus jam commemoratis, quæ in capitibus illis conspecta fuêre, aliquid diceremus: verùm quia ea non satis intelligi possunt, priusquam imago primæ bestiæ, svasu secundæ confecta, explicetur, ideo ad ejus enarrationem nos jam accingimus, initio facto a secunda bestia, de qua ita Johannes: Deinde vidi aliam bestiam ascẽdentem e terra, quæ habebat cornua duo similia agni: sed loquebatur ut draco: &

 pote-

potestatem prioris bestiæ omnem exercebat in conspectu ejus. *Per hanc bestiam Pontificem Romanum sub Christiano nomine, ejusq; imperium ex civili ac spirituali mixtum, intelligi, partim ex his Johannis verbis, partim ex iis quæ subjungit, non obscurè colligi potest. Nam dum ait:* bestiam hanc habere duo cornua similia agni, *scilicet cornibus, indicat eum, qui per hanc bestiam designatur, vindicaturum sibi potentiam (potentiam enim ac robur per cornua intelligi notum est) similem potentiæ atq; imperio Agni, hoc est Christi. quod in Pontificem Romanum egregiè quadrat, qui se Christi in terris vicarium esse affirmat, atque hoc nomine imperium in omnes, etiam Imperatores ac Reges, sibi usurpat. quod verò ait, eam loqui ut draco; indicat eum doctrinam draconis illius, qui est diabolus, ut alibi in hoc libro explicatur profeßurum, & inculcaturum dogmata ab eo sibi inspirata. quò etiam referenda sunt illa, quæ de miraculis, ad falsa illa dogmata stabilienda, ab eadem bestia editis, infrà dicuntur versu 13. Quod verò ait:* bestiam hanc potestatem prioris bestiæ omnem exercere in conspectu ejus, *indicat, Pontificem Imperio Romano potiturum, & omnia pro arbitrio gubernaturum, ita ut potestatem, quæ antea penes Imperatores Romanos fuerat, ad se pertractam,*

tractam, quamquam religionis prætextu ac titulo, exerceat.

Ex dictis autem ratio intelligi potest, cur Pontifex, qui, ut nostra fert explicatio, antea per septimum prioris bestiæ caput fuerat adumbratus, nunc denuo per bestiam peculiarem, atque a priori distinctam, delineetur. Caussa enim hujus rei est, quòd genus hoc imperii ac gubernationis, qua Monarchiam Romanam esset administraturus Pontifex, longè diversum esset futurum ab aliorum Capitum seu Regum imperio & administratione. Gubernat enim, ut diximus, omnia Pontifex titulo religionis ac vicariatus Christi, & imperium ejus spirituale seu ecclesiasticum imprimis audit. Hæc ergo proprietas ac peculiaris imperii Pontificii ratio, peculiari etiam bestia fuit exprimenda: præsertim cum aliàs etiam plurimùm interesset ecclesiæ, ejus potestatem ac conditionem clariùs depingi, aut crebriùs in hoc libro, qui Ecclesiæ sub Antichristo degentis utilitati potissimùm est consecratus, inculcari. Eadem ratione, ut mox videbimus, Cæsareatus in Germania constitutus, licèt ex illis septem regibus esse dicatur, atque adeò uno ex istis capitibus adumbretur, tamen per imaginem bestiæ peculiariter exprimitur. nempe quia cum forma regiminis, ipsum

quoque Imperii corpus admodum fuit mutatum, ita ut planè diversum esse videatur.

Sed nunc tempus est, ut consideremus imaginem illam bestiæ prioris, svasu secundæ confectam, qua de re ita loquitur D. Johannes, cap. 13. v. 14, 15. bestiæ secundæ effecta enumerans: dicens (*bestia*) habitantibus supra terram, ut faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladii, & revixit. Et datum est illi dare spiritum imagini bestiæ, ut & loqueretur imago bestiæ, & faceret, ut, quicumque non adorarent imaginem bestiæ, occiderentur. *Per imaginem hanc prioris bestiæ, ut non semel indicavimus, Cæsareatum seu Imperium Romanum in Germania, per Pontificem erectum & stabilitum, intelligimus. Caussa suprà est exposita. nempe, quia Imperium hoc Romano-Germanicum, imago tantū modo aliqua est veteris illius Romani Imperii, quale D. Johannis tempore fuit, amplissimi ac potentissimi: imago tamen non mortua, sed quæ vitam ac spiritum quendam habeat, idq; ope Romani Pontificis, qui non modò Imperii hujus constituendi auctor fuit, sed & postmodum*

Imago prioris bestiæ, Bestia quæ erat, & non est, & tamen est, item Rex octavus, pro eodem, Cæsareatu scilicet Germanico, in hac D. Johannis Prophetia accipiuntur.

modum Cæsares Germanos confirmare, & auctoritatem Imperatorum Romanorum illis largiri consvevit. Nam potestas illa atque auctoritas Imperatorum, quæ sanè non est contemnenda, ac vires quæ in imperij hujus corpore sunt: ordinum præterea membrorumq́ue ejus conjunctio, per quæ potestas illa hinc inde exercetur, & Electorum constitutio, per quos Imperium istud continuaretur, imaginis hujus veluti vita est ac spiritus. Erectus autem est hic Cæsareatus, hortatu Pontificis Romani, tum, cum Imperium istud antiquum bellis esset ita attritū, ut parū abesset quin prorsꝰ everteretur, & sic unū bestiæ caput, nempe sextum, quod Imperatores Romanos veteres designat, lethale vulnus accepisset, quod, constituto hoc in Germania Imperio, sanatum est. qua de caussa Johannes hoc loco, cum describit rationem, qua imago bestiæ fuerit erecta, nihil aliud ex descriptione illius bestiæ superiùs posita repetit, quàm quod habeat plagam gladij, & revixerit. innuere volens, hoc solum ad rem, de qua agitur, hoc est ad erectionem illius imaginis pertinere. Fuit enim lethale hoc bestiæ vulnus gladio inflictum, caussa erectionis ac constitutionis imaginis illius, sanatio verò illius effectum. Id qua ratione factum fuerit, operæ pretium est ex historiis repetere.

Post Constantini Magni tempora, per aliquot annorum centurias Imperij Romani ditiones variis bellis gravißimè vexabantur atque atterebantur; nonnullæ etiam ab eo paullatim sese subducebant, & ab ejus corpore avellebantur, adeò ut parùm abesset, quin Imperium prorsus caderet, atq; inprimis tum, cum id à Gallis, ad quos Romanus Pontifex Cæsaream dignitatem detulerat, ad Italos, veluti postliminio rediret. Atq; hi primùm ex posteritate regum Longobardorum Imperatores sibi creârunt: tandem verò de Imperiali diademate ita depugnârunt, ut bona pars Italiæ gravißimè affligeretur ac vastaretur: ac nisi a Principibus Italiæ, ac præcipuè a clero papaliq; curia, Ottho, Magnus postea dictus, e Germania, ad componendos & sedandos Italiæ motus, evocatus fuisset, corruisset prorsus Imperium, & unâ Ecclesia Romana. Constat id ex verbis, quibus ijsunt usi, qui Otthonem in Italiam advocarunt: Veni, *inquiunt,* juva nos, nisi enim nos juveris, ruet ecclesia & imperium. *Atque hæc fuit plaga illa gladij, seu vulnus lethale bestiæ inflictum, cujus sana-*

Vide Hartmannum Schedel in ipsius Chronicis Norimbergæ in regali charta seu folio impressis, anno Christi 1493. a fol. 179. &c, ubi de rebus gestis Ottonis primi scribit, & maximè anno Christi 954.

ſanatio ab Otthone primo in Italiam accerſito incæpit. Inde enim Imperium collapſum reſtaurari, & Imago ejus in Germania erigi cæpit. Nam Ottho hic, primus ex Germanis habenas Imperij ſuſcepit, & filio Otthoni tradidit, ab hoc Ottho tertius ſecundi filius, primi nepos, qui Mirabilia mundi eſt appellatus, accepit, & in Germania planè fixit, atque ad eam nationem adſtrinxit, Gregorio quinto Pontifice, qui & ipſe Germanus, ac præterea Otthonis conſangvineus erat. atque ab eo ad Pontificiam dignitatem evectus, & tandem etiam fuerat reſtitutus, negotium promovente. Nam cum Gregorius hic de ſolio Pontificio fuiſſet detruſus, a Creſcentio patricio ac Principe Romano, qui Imperium ad ſe conabatur pertrahere, & ejus habenas ſub titulo Conſulis moderari, Ottho tertius cum exercitu Romam profectus, Gregorium priſtinæ dignitati reſtituit, deletis iis, qui ipſum e ſolio dejecerant, & in exilium expulerant. Itaque Gregorius tum recenti beneficio, tum nationis ac ſangvinis vinculo Otthoni junctus, ne in poſterum tot tantaque de Imperio orirentur ſeditiones, Otthoni firmare Imperium, & in Germanica natione figere conſtituit, eumq; in finem Concilium indixit Romæ, unde Romanum appellari ſolet, quamquam alij in Italiæ finibus id celebratum

arbi-

arbitrentur, convocatis Italiæ Principibus atque Optimatibus, Episcopis item & universo clero, ac populo urbis Romanæ. Quo in Concilio Gregorius Pontifex, unà cum Otthone, svasit iis qui convenerant, ut abrenunciarent juri suo (*verba sunt cujusdam historici rem hanc gestã narrantis*) quod prætendebant se habere ad electionem Imperatoris, & illud in manus Pontificis & Imperatoris traderent; *atque in posterum penes solos Germanos electio illa esset. Ea res cum pronis auribus acciperetur ab iis, qui ab Otthonis ac Pontificis stabant partibus, cæteri quoque, licèt inviti, assensêre, veriti Otthonis, qui cum copiis aderat, potentiam. Ex quibus apparet, quomodo bestia secunda, per quam Pontifex Romanus adumbratur, hortata fuerit habitatores terræ, ad Imaginem prioris bestiæ conficiendam. Atque hanc Gregorij sanctionem de Imperatoris electione solis Germanis permittenda, præter alios, Nauclerus his verbis describit:* Ajunt Gregorium quinctum, cognita Imperij imbecillitate, varietateq; fortunæ, quò diutius apud Germanos summa potestas remaneret, illeq; cæteris præesset, qui virtute & dignitate cæteris præstaret, retulisse sanctionem de Imperatore deligendo, videlicet solis licere Germanis principem deligere, qui Cæsar

& Romanorum Rex appellatus, tum demum Augustus & Imperator haberetur, cum a Romano Pontifice benedictione præmissa coronaretur: & quòd ordinaverit cum procerum Germaniæ consensu electores prædictos, qui vice omnium eligere deberent. *De eodem Gregorio scribit Christophorus Varsevicius in Turcica 14. eum, cum interrogaretur, quare hanc sanctionem, tulisset, respondisse:* Caro & sangvis mihi revelavit. *Etenim (subijcit scriptor) multa multis, sed haud scio an sangvis dominetur universis. Atque ab his Otthonibus Cæsareatus apud Germanos constanter perstitit, adeò ut sexcentos amplius annos in ea natione durârit, nec ad ullam aliam gentem fuerit translatus. Ottho enim tertius obijt anno Christi 1002. cum cæpisset imperare anno 994, vel, ut alii volunt, & ij rectiùs, nostro quidem judicio, sentiunt, Anno 984.*

His ita explicatis, redeundum nobis est ad Caput decimum septimum, de quo antea nonnihil diximus. Nam quæ ibi narrantur, tum lucem afferunt iis, quæ capite decimo tertio habentur, tum ab iis vicißim accipiunt. Solet enim divinus spiritus, non semel in hoc libro, rem eandem diversis in locis, atque adeò sub diversis imaginibus exprimere, ut eæ inter se collatæ, sese

se mutuò, & rem ipsam iis involutam, reddant illustriorem, & varias ipsius proprietates, quæ una imagine commodè exprimi non poterant, sua varietate tantò meliùs depingant. Id quomodo in his duobus, quæ tractamus capitibus fiat, nunc est considerandum. Bestiam illam septicipitem, ac decem cornibus armatam, utrobique haberi, nemo est qui non videat. Verùm illud haud scio an a paucissimis fuerit observatum, bestiam hanc cum sua imagine, de qua hactenus egimus, capite decimo septimo conjungi, atque adeò confundi, ita ut, quæ imagini competunt, ea ad ipsam bestiam transferantur, propter similitudinem atque affinitatem, ob quam etiam in hoc eodem capite ait Angelus, octavum hunc regem esse unum ex illis septem, a quibus tamen ipso numero atque ordine satis apertè distingvitur. Nam ob id ipsum, quia Imago est bestiæ, externa forma ac specie eam repræsentat: & quia spiritu quoq; ac vita est prædita, non secus, atque ipsa bestia, ac denique in illius locum fuit substituta, quid mirum est, si cum ipsa bestia confundatur, & illius nomen quoque usurpet? quemadmodum in ipsa etiam re, his figuris designata, contingit. Nam Germanorum Princeps, Imperator Romanus ac Cæsar appellatur, ejusq; Imperium Romanum vocatur, non secus atque illud vetus. Ita verò rem sese habere, ut diximus, liquet ex

verbis quæ supra explicavimus: bestia quæ erat, & non est, & tamen est. *prior enim horum verborum pars de ipsa bestia, posterior de ejus imagine loquitur, seu mavis de bestia in imagine sua, seu sub octavo rege constituta. Sensus enim, ut suprà diximus, est: bestiam ipsam, seu Romanum Imperium, olim quidem extitisse, sed nunc revera non ampliùs superesse: nihilominus tamen in sua imagine, seu Cæsareatu Romano-Germanico, extare. Hoc posteriori potißimùm modo intelligendum est etiam illud, quod meretrix seu Antichristus, quem per secundam bestiam capite decimo tertio adumbrari docuimus, bestiæ huic dicitur insidere. licèt enim ejus rei fundamenta quædam jacta fuerint, atque adeò initia quædam extiterint, ante Cæsareatum in Germania constitutum, veteri Imperio in ruinam paullatim inclinante: tamen potissimùm tum id completum est, cum Imago hæc Imperij Romani in Germania fuit excitata. Nam ex quo tempore potestas confirmandi Romanos Imperatores a Germanis electos, penes Ponti ficem fuit, quod factum est imagine illa Cæsareatus in Germania erecta, tum demum verè*

Meretrix, secunda bestia, septimum caput, falsus Propheta, pro eodem, Antichristo scilicet, in hac divi Johannis prophetia accipiuntur.

verè cœpit Antichristus bestiæ huic insidere, & ejus potentiâ, ad stabiliendam suam tyrannidẽ adversariosq; opprimendos, abuti, decreta sua per omnes Imperij partes, atq; inde latiùs spargere ac firmare, Imperatorum consilia, quatenus ad ipsum aliquo modo pertinerent, pro arbitrio suo, atq; ad suam utilitatem moderari, honorem denique a tantis principibus, se atq; illis indignum, postulare. Eodem etiam pacto accipiendum esse videtur illud, quod de decem regibus per cornua designatis, infrà dicitur, eos potestatem regiam, quam tum temporis nondũ
℣.12,13. *accepissent, accepturos unâ horâ cum bestia: itemq; eos potentiam suam ac potestatem bestiæ tradituros. Id enim de imagine bestiæ accipiendum est. nisi fortè malis per bestiam ibi Antichristum, ut quidem a plerisque fit, intelligere qui capite 13. per bestiã secundã fuit expressus, & qui, si corpus, sive ecclesiam ejus respicias, idem est cum corpore septicipitis bestiæ, cui meretrix insidet: si caput, hoc est ipsum Pontificem, is, quatenus ecclesiasticum habet Imperium, bestiæ insidet, eamq; regit, ac vicißim ab ea gestatur ac fulcitur; quatenus politicum ecclesiastico junxit, ipse quoque bestiæ caput est: adeo ut jure bestiæ nomen Antichristo poßit cõvenire. Et hoc pacto faciliùs intelligi poterit, quomodo reges isti vires ac potestatem suam bestiæ*

stiæ tradiderint. Quod si tamen malis id de bestia ab Antichristo distincta explicare, intelligendum erit, eos reges, quorum non pauci dignitatem suam atque honorem regium, aliqua ratione ab Imperatoribus pendere voluerunt, potentiam viresq; suas in ferenda, sustentanda, propugnandaq; meretrice, cum iis aliquo modo conjunxisse, eosq; strenuè adjuvisse. Quæ explicatio eodem ferè recidit, quo illa, quæ per bestiam Antichristum, hoc est Pontificem cum sua ecclesia, intelligit.

Sed jam investigandum nobis est, quinam per decem istos Reges intelligantur. Videntur ergo ii designari reges, qui circa illud tempus, aut non ita longè pòst, quo Cæsareatus in Germania fuit stabilitus, regiam dignitatem acceperunt, sive Imperatorum, sive Pontificis, sive utriusque consensu. Et sanè ex historiis constat, Otthonis tertii tempore aliquot regna fuisse constituta. Is enim primo Polonorum Regi diadema imposuit; ejus tempore, aut non multò pòst, Bohemicum atque Ungaricum regnum, ut alia taceam, fuit erectum.

Quod verò ad denarium istorum Regum numerum attinet, non est necesse decem Reges præcisè, ut loquuntur, seu definitè accipere. Potest enim denario numero, multitudo seu pluralitas, indefinitè intelligi, ut viri docti tum

inter pontificios, tum inter Evangelicos censuerunt. neque id a sacrarum litterarum consvetudine abhorret. Franciscus Ribera in Zachariæ caput 8. v.23. ita scribit : Apprehendent decem viri oram Jehudæi, *&c.* decem viri, *id est multi. Subjicit Ribera ,* Numero denario perfectio, ut ait Cyrillus, sive multitudo, solet significari in scriptura. *exempla affert Gen.21.v.7.* Pater vester mentitus est mihi , & mutavit mercedem meam decies. *id est sæpe. Levitici 26.v.26.* Coquent decem mulieres panem vestrum in clibano uno. decem *id est, multæ. Joh.9. v.3.* Jam decem vicebus pudore affecistis me, *id est sæpiùs, seu multis vicibus. David Paræus Theologus Heydelbergensis in hunc ipsum Apocalypsis locum de quo agimus, ita scribit : Col 915, & 916.* Non puto denario numero præcisè hîc inhærendum : cum fatente Bellarmino *(libro 3.de Pontifice Romano, capite 8.)* decem, centum, mille, & quivis numerus perfectus, indefinite capi possit. Erunt igitur Reges aliquam multi, ex uno Imperio Romano antiquo exorti. ut in illo Gen. 31. v. 7. Decem vicibus mutavit mercedem meam. *Et Num. 14. v. 22.* Decem vicibus tentavit me hic populus: pro *multoties* De septem prioribus (*NB.*) idem dici non potest', quia

quia illos distinctè numeravit Angelus. Jam qui sint hi decem Reges, non potest esse obscurum. Sunt haud dubiè omnes illi, qui hactenus orbem Christianum ad nutum Pontificis Romani tenuerunt: & potest de his legi Augustinus Steuchus, Eugubinus Episcopus, de Donatione Constantini contra Vallam, *Sect.94.97.103.* ubi contendit omnia regna Christiani orbis, Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Daniæ, Russiæ, Croatiæ, Dalmatiæ, Arragoniæ, Sardiniæ, Portugaliæ, Bohemiæ, Sveciæ, Norvegiæ, Ecclesiæ Romanæ subjecta esse & vectigalia. *Hæc ille. Fuerunt autem satis multi reges a Pontificibus & Imperatoribus constituti, ut testantur Historici, eorumq; non pauci planè defecerunt.*

Restat ut numeros, quorum in capite 13. fit mentio, evolvere conemur. Quod ergo ad numerum 42. mensium attinet, qui commemoratur versu 5. & suprà capite 11. v. 2. idem etiam in aliis visionibus, quamquam alia ratione exprimitur. Nam dicto capite 11. v. 9. exprimitur per dies tres ac dimidium: eodem capite v. 3. & capite 12. v. 6. per dies mille ducentos sexaginta. eodem capite 12. v. 14. per tempus tempora, & dimidium temporis. *Hæc enim omnia idem tempus denotant. Nam si quadra-*

ginta duos menses accipias, & cuilibet, secundum Ægyptiorum computationem, tribuas dies 30, emerget numerus dierum 1260. quem capite 11. versu 3, & capite 12. v. 6. expressum diximus. Si item sumas dies tres & dimidium, & eos pro annis accipias, ac cuilibet anno tribuas 12. menses, qui horis duodecim, in quas singuli dies apud Judæos olim dividebantur, respondent, emergent denuo menses 42. Si denique sumas tempus, tempora, & dimidium tempus, tum, quemadmodum Danielis capite 7. v. 25. accidit, per tempus intelligendus est κατ' ἐξοχὴν *annus, qui perfectum temporis circulum absolvit, per tempora verò duo anni, per dimidium temporis semestre, atque hæc omnia si in menses redegeris, iterum habebis numerum 42. hi rursus in dies redacti, conficiunt numerum 1260. Dies verò hi, ut in mystico sermone, pro annis accipiendi sunt, quemadmodum etiam fit apud Danielem capite 12. v. 11, 12. Nam si quis loca omnia, in quibus Numeri istius fit mentio, inspexerit, ac diligenter consideraverit, comperiet tempus illud designari, quo doctrina Antichristi, extincta aut expulsa veritate, in visceribus Romani Imperij vigere debuit. quo tempore bestia hæc, Romanum imperium designans,*

Confer etiam Num, 14. v. 34 & Ezech. 4. v. 6.

gnans, veneno falsæ doctrinæ imbuta; lethiferam potestatem a dracone acceptam, exercens, cum sanctis ac veram doctrinam profitentibus pugnævit, cœlestem de Deo doctrinam ac cœlorum incolas, hoc est, omnes salutarem doctrinam sectantes, ipsamq; ecclesiam cœlestis tabernaculi imaginem, blasphemare nen est verita. Videtur autem temporis hujus initium, ut alij quoq; censuerunt, capiendum a Concilio Nicæno, aut paullo pòst, intra annum Christi 360, & 370. tum enim non parum iuvalescere Romani Pontificis auctoritas, & præter alia falsa dogmata & errores, idololatria in ecclesiam invehi, & per Romanum Imperium, totumq; orbem Christianum spargi, atque ij, qui rectiùs sentirent, vi opprimi ab Antichristi asseclis cæperunt.

Quod attinet ad numerum bestiæ 666, qui etiam numerus nominis bestiæ dicitur, is potissimùm designare videtur numerum annorum, quibus nomen bestiæ, hoc est majestas, auctoritas, potentia, debeat durare. De numero enim non mysticè aut allegoricè accepto, sed propriè sic dicto, Johannem loqui inde apparet, quòd dicat, numerum hunc esse numerum hominis, hoc est talem, quali homines utuntur, communem, inquam, seu usualem, non mysticum, propheticum vel allegoricum. qua ratione

infrà capite 21. v. 17. dicitur mensura hominis, *pro mensura quali homines utuntur.* Nomen *autem bestiæ, pro ipsius potestate, auctoritate, imperio rectißimè sumi posse, illi fatebuntur, qui nomen, Hebraica consvetudine, pro majestate, potentia atque auctoritate, in sacris litteris sæpe poni consideraverint.*

Interim haud negamus, posse nomen bestiæ etiam pro appellatione quadam, ut multis placere videmus, sumi. Verbi gratia, pro voce רומיית, Romiith*, sub qua potest subaudiri vel* קהלת*, id est, congregatio seu ecclesia, vel* מלכות*, id est, regnum; aut* Λατεῖνος *in quorum nominum litteris, si eæ pro notis numerorum, ut apud Hebræos & Græcos, atque ex parte etiam apud Latinos, contingit, accipiantur, numerus 666. contineatur.* Neque *enim absurdum est, eadem verba, præsertim in Propheticis sermonibus, duplicem habere significationem. Sic suprà vidimus capite 17. v. 9, 10, Angelum capita bestiæ duplici modo explicare, partim de septem montibus, partim de septem regibus. Idem hoc loco factum esse nemo mirari debet, ubi spiritus sanctus magnam obscuritatem, & peculiare verborum involucrum, ad quod evolvendum singulari sapientia sit opus, profiteatur, ait enim in versu ultimo, postquam istius numeri nominis bestiæ fecisset mentionem:*

hîc ſapientia eſt. qui habet mentem computet numerum beſtiæ. *ideo autem veriſimile eſt, vocem* nominis *hoc loco non tantùm poteſtatem, ſed etiam nomen propriè dictum ſignificare, quia dicitur*, ne quis poſſit emere aut vendere, niſi is qui habuerit notam, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis ejus. *neque enim ſatis commode intelligi poſſe videtur, quomodo homines ij, qui velint commercia exercere, habeant numerum nominis beſtiæ, ſi eum tantummodo pro numero annorum, quibus poteſtas illa beſtiæ duratura ſit, accipias, & non etiam pro appellatione aliqua, qua ij utantur, qui poteſtatem beſtiæ ſupra ſe agnoſcant, & ei ſeſe addictos eſſe profiteantur, quæq; includat numerum annorum, per quos potentiam beſtia ſit habitura* Hoc enim pacto demum eleganter dici poteſt, aliquem habere numerum nominis beſtiæ. Et ſanè videtur divinus ſpiritus, ut uterque ſenſus locum haberet, & ſimul tantò tectiùs res exprimeretur, reticuiſſe nomen temporis illius, quod hîc ſubaudiendum eſt, & tantùm generatim poſtea innuiſſe, numerum illum eſſe ejusmodi quo homines uti ſoleant, ne deſperatione rei inveniendæ lectores a labore inquirendi abſterrerentur. Occultavit autem ideo tantò magis ipſam temporis ſpeciem, cujus numerum expreſſit, quia

numerus hic 666, cum imperfectus sit, nec in denario aliquo finiatur, præcise est intelligendus. Non solet autem Deus facilè in hujusmodi prophetiis, articulum aut spatium temporis adeò præcise, antequam res ipsa eum in apertum producat, revelare, sed potiùs aliquo modo in ambiguo relinquere. Est enim, ut Salomon ait, Prov. 25. v.1. gloria Dei celare verbum, *quod nuspiam magis quam in decretis ipsius, in quibus universus sermo Propheticus revera occupatur, locum habet.*

Istud autem inprimis etiam considerandum est, quidnam per bestiā illā, de cujus numero & nomine hîc agimus, intelligatur. Sermo igitur est, ut ex verborum contextu apparet, vel de secunda bestia, quæ Antichristum designat, vel de imagine primæ bestiæ, quam ipsam quoque bestiam appellari rectè posse, superius docuimus. Non multùm autem interest, sive de hac, sive de illa Johannis verba accipias, cum, ut itidem suprà docuimus, Antichristus cum hac imagine bestiæ ita sit conjunctus, ut cū ea idem censeri poßit.

Indicatur ergo a Johanne numerus annorum, quibus vel potestas illa magna Antichristi, quæ ex Ecclesiastica & civili mixta est, vel Cæsareatus in Germania durare debuerit, & quibus exactis is sit casurus. qui numerus in nomine,

mine, quo bestia appellatur, includitur. Initium verò istorum annorum ab Otthonibus ducendum esse, ex iis quæ de Cæsareatu in Germania ope Pontificis erecto, & Pontificum potentia simul stabilita, disputavimus, patere potest: sed à quónam istorum triũm Otthonum omnino sit incipiendum, dictu non videtur facile, donec eventus tandem rem ipsam aperiat. Etiamsi enim Ottho tertius imaginem bestiæ, seu Imperium Romanum, in Germanica natione penitus fixerit, ac plenè firmaverit; nihil tamen prohibet, quominus ab Otthone primo seriem hanc temporis ordiamur, utpote qui primus in hoc Imperatorum Germanorum, continua stabiliq; serie sibi succedẽtiũ, ordine, censendus est; quiq; ad Otthonem tertium nepotem suum, quem Imperium in Germania stabilivisse diximus, per filium Otthonem Cæsaream dignitatem transmisit. Siquidem Scriptores divini quandoque, non ab ipsis rebus prædictis, sed ab earum caussis ac minimis principiis, sua ordiuntur ac metiuntur tempora, quemadmodum in numero quadringentorũ annorum servitutis populi Israëlitici in Ægypto, Abrahamo prædictæ, contingit, de qua Genesis 15. capite, versu 13. cujus temporis initium, ut norunt docti, ab ipso adhuc Abrahamo incipit, atque adeò, ut quidam volunt, ab ejus in Ægyptum profectione.

Istud eetiam hoc loco notandum est. Historicos, in aßignãdo principio imperij Otthonis primi, admodum inter se discrepare, ita ut ex illis certum figere terminum non poßis. Voluit nempe Deus (ut nos quidem arbitramur) rem hanc non omnino esse hominibus cognitam atq; perspectam, ideoq; primùm in hujus rei prædictione, tempus ipsum, cujus numerum expreßit, reticuit: deinde initium quoque hujus temporis obscuritate aliqua involvit ut ij, qui fini temporum istorum forent propiores & ex exentu aliquomodo didicissent, quænám temporis species hîc sit subaudienda, tamen terminum ejus ultimum, exactè sumptũ, certa atq; indubitata cognitione comprehendere non possent. Ea quæ nunc geruntur bella, fortasse ad initium horum temporum investigandum non parum adferent adjumenti. Quamquã adhuc probabilis conjectura restat, de temporis hujus initio capiendo. Ex collatione eorum quæ in hoc capite decimo tertio dicuntur,

Gilbertus Genebrardus Theologus Parisiensis in sua Chronologia pag. 143. de illis temporibus in hæc verba scribit: Confusę sunt admodum istorũ temporum historiæ, ut vix duo scriptores conveniant, quoad annos & numerum Pontificum Romanorum. Nos sequimur Sigebertum, Platinam, & ꝗnosdam alios.

cuntur, satis videtur apparere, bestiam illam secundam, quæ Antichristus est, & imaginem prioris bestiæ, seu Cæsareatum, non amplius duraturum, quam bestia septiceps (in qua duæ illæ bestiæ quodam modo continentur) potestatem suam est habitura. Tempus autem illud esse vidimus annorum mille ducentorum sexaginta, quod diximus videri ordiendum intra annum Christi 360, & 379. Ponatur nunc posterior numerus, nempe 370, in quo minor est erroris suspicio. Finis ergo illorum mille ducentorum sexaginta annorum, incidet in annnum Christi millesimum sexcentesimum trigesimum. Jam si terminus seu finis annorum sexcentorum sexaginta sex, idem sit cum fine annorum mille ducentorum sexaginta, saltem ita ut ulteriùs non producatur, detrahantur anni sexcenti sexaginta sex, ab istis mille sexcentis triginta, & emerget annus Christi noningentesimus sexagesimus quartus, qui in imperium primi Otthonis incidit, quem, anno Christi noningentesimo sexagesimo secundo, in Imperatorem Romanorum coronatum plerique scriptores volunt: quinetiam, si initium annorum mille ducentorum sexaginta biennio antè, quam posuimus, incohoare velis, in hunc ipsum annum, quo coronatus est Ottho, initium numeri 666. incidet.

det. Etiamsi autem finis annorum istorum statuatur is, quem posuimus: non tamen sequetur, ita bestias has tunc sublatum iri, ut nullæ prorsus earum remaneant reliquiæ. Magnarum enim rerum ortûs, ut sunt quædam primordia ac semina, ita post earum interitum remanent rudera vestigiaq;. Verùm hæc ratio investigandi initium annorum istorum ex eorũ fine, propemodum videtur supervacanea. Si enim de fine aliquid constaret, de initio parum jam videretur laborandum: cum initium potissimùm propter finem quæramus. Eventus, ut diximus, rem tandem aperiet. Felix quem ruina tantarum belluarum non opprimet, & qui finem tam infelicium temporum securus spectabit. Veni citò Domine JESU. Etiam. Amen.

Cum una atq; altera pagella post absolutum opusculum restaret, ne vacuæ manerent, operæpretium visum est, in gratiam Lectoris, addere ex Livio, quæ Decadis primæ lib. 2. ab ipso initio de Consulibus, eorumq; imperio, necnon majestate & auctoritate scripsit. Verba verò gravissimi istius Scriptoris ita habent:

LIberi jam hinc populi Romani res, pace belloq; gestas, annuos magistratus, imperiaq; legum potentiora quàm hominum, peragam. Quæ libertas ut lætior esset, proximi regis superbia fecerat. nam priores ita regnârunt, ut haud immeritò omnes deinceps conditores partium cæptæ Urbis, quas novas ipsi sedes ab se auctæ multitudini addiderunt, numerentur. Neque ambigitur, quin Brutus idem, qui tantum gloriæ Superbo exacto rege meruit, pessimo publico id facturus fuerit, si libertatis immaturæ cupidine priorum regum alicui regnum extorsisset. Quid enim futurum fuit, si il-

la paſtorum convenarumq́; plebs transfuga ex ſuis populis, ſub tutela inviolati templi, aut libertatem, aut certè impunitatem adepta, ſoluta regio metu, agitari cœpta eſſet tribunitiis procellis? & in aliena urbe cum patribus ſerere certamina, priuſquam pignora conjugum ac liberorum, caritasq́; ipſius ſoli, cui longo tempore aſſueſcitur, animos eorum conſociaſſet? diſsipatæ res nondum adultæ diſcordiâ forent: quas fovit tranquilla moderatio imperii, eoq́; nutriendo perduxit, ut bonam frugem libertatis maturis jam viribus ferre poſſent. Libertatis autem originem inde magis, quia annuum imperium conſulare factum eſt, quàm quòd diminutum quicquam ſit ex regia poteſtate, numeres. Omnia jura, omnia inſignia primi conſules tenuêre, id modò cautum eſt, ne ſi ambo faſces haberent, duplicatus terror videretur.
Bru-

Brutus prior, concedente collega, fasces habuit: qui non acrior vindex libertatis fuerat, quàm deinde custos fuit. Omnium primùm avidum novæ libertatis populum, ne postmodum flecti precibus aut donis regiis posset, jurejurando adegit, neminem Romæ passuros regnare. Deinde quò plus virium in senatu frequentia etiam Ordinis faceret, cædibus regiis diminutum patrum numerum, primoribus equestris gradus lectis, ad trecentorum summam explevit. traditumque inde fertur, ut in Senatum vocarentur, qui patres, quique conscripti essent. conscriptos videlicet novum Senatum appellabant lectos. id mirum quantùm profuit ad cōcordiam civitatis, jungendosq; patribus plebis animos. Rerum deinde divinarum habita cura. Et quia quædam publica sacra per ipsos reges factitata erant, necubi regum desiderium esset, regem sa-

crificulum creant. Id ſacerdotium Pontifici ſubjecere, ne additus nomini honos, aliquid libertati, cujus tunc prima erat cura, officeret. Ac neſcio an, nimis undique eam, minimis quoq; rebus muniendo, modum exceſſerint. conſulis enim alterius, cum nihil aliud offenderit, nomen inviſum civitati fuit. &c.

FINIS.